

Id autem negamus de virtute spei, cuius potest poenitentia esse actus imperatus, sed non elicitus. Ratio est, quia peccatum non opponitur formaliter obiecto formali spei, sicut opponitur formaliter obiecto formali praedictarum virtutum, sed opponitur tantum causaliter, quatenus nempe est inductivum privationis beatitudinis, a qua privatione spes abhorret. Porro actus detestationis illius rei, quae est causa illius quod refugit virtus, non est actus elicitus illius virtutis, sed solum imperatus esse potest. Actus enim elicitus virtutis versatur vel circa obiectum formale prosequendo, vel circa id, quod ei formaliter opponitur, fugiendo: at obiecto formali spei opponitur formaliter privatio eius, non peccatum. Et sane quis dixerit detestationem peccati et propositum non peccandi esse spem? an ipsi competit definitio spei?

Constat quod de spe diximus idem dicendum de timore poenitentiarum, qui est prorsus alius actus a detestatione peccati et proposito non peccandi.

Corollarium I. Cum ab aliqua ex virtutibus supradictis elicitur actus poenitentiae, ea virtus, prout illum actum elicit, potest sub eo respectu denominari poenitentia.

Corollarium II. Cum poenitentia ad iustificationem necessaria sit ea, quam Concilium Tridentinum describit, eaque non sit actus proprius unius specialis virtutis; consequens est poenitentiam necessariam non esse eam, quae sit actus alicuius virtutis specialis (de qua utrum sit disputabimus in seq. Th.) sed indeterminate esse eam quae sit actus sive huius sive illius virtutis. Licet enim aliquando per accidens postulari possit ut poenitentia ad iustificationem obtinendam sit ex caritate, non est tamen necesse ut ea a caritate eliciatur, sed potest esse actus ab ea imperatus, atque esse in se actus formaliter alterius virtutis sive alicuius ex supradictis, sive virtutis specialis poenitentiae, ut explicabimus in seq. thesi.

IV. Hactenus locuti sumus de virtutibus, quas diximus universales. Quaeri potest an virtus particularis quoque detestari valeat peccatum, non quodvis, sed illud, quod sibi opponitur. Sane temperantia e. g. quaerit moderationem in cibo et potu, refugitque ab immoderatione, quia eiusdem virtutis est velle bonum et abhorre ab eius opposito malo; porro immoderatio est peccatum: poterit ergo temperantia detestari peccatum illud, sive aliis verbis detestatio peccati intemperantiae potest esse actus temperantiae. Hinc non pauci Theologi concedunt poenitentiam singulorum peccatorum posse esse actum singularum virtutum, quibus peccata adversantur. Quae quidem detestatio, ut sit poenitentia salutaris, necesse est ut qui ex motivo proprio specialis virtutis peccatum ei oppositum detestatur, peccatum

consideret simul ut offensam Dei, eamque detestetur, ut monuimus ab initio. Qua in re discrimen apparet inter has virtutes particulares, et eas, quas indicavimus, universales. Nam eae universales virtutes Deum habent, vel ut obiectum formale, vel ut terminum, unde detestatio peccati sub ratione offensae Dei apte cohaeret cum eorum motivo et ex eo consequitur. At hae virtutes particulares per se non respiciunt Deum, sed rationem cui conformantur; unde detestatio e. g. intemperantiae quia est contra rationem sive exigentiam naturae, quod est motivum particularis virtutis temperantiae, non exigit ut intemperantia spectetur prout est offensa Dei. E contrario si detestaris peccatum intemperantiae, h. e. intemperantiam, prout est peccatum, nequis, ut diximus superius sub n. 1. praescindere a consideratione Dei, seu supremi legislatoris, cuius legem violasti. Quocirca ut vere te poeniteat huius peccati, oportet ut alio motivo movearis praeter id, quod est proprium huius virtutis.

THESIS V.

(aa. 2. 3.)

Exstat motivum speciale detestandi peccata, petita ex ipsa intrinseca natura peccati, quod est offensa et iniuria Dei, qui ius essentialiter habet, ut sibi honor a creatura rationali deferatur, suaque voluntas fiat, quam quidem iniuriam debitum consequitur compensationis seu satisfactionis exhibendae. Quare peccatum, ut offensa Dei est, expiandum per actus quoque, quoad eius fieri potest, ipsius poenitentis, potest esse obiectum poenitentiae formalis. Poenitentia autem huiusmodi est virtus specialis.

I. Deus est principium et finis omnium, ideoque habet ius ex ipsa sua essentia rerumque essentialis determinatum ut creatura rationalis ei se subiiciat, ad eum se dirigat, illumque omnibus praeferat. Habet nimirum Deus ius ut creatura rationalis dignitatem suam principii ac finis et mente cognoscat et voluntate protestetur, ipsum cognoscendo et amando.

Porro in hac cognitione et amore practice consistit honor ille extrinsecus (extrinsecum inquam Deo), qui Deo deferri potest: habet ergo Deus ius ut sibi honor a creatura rationali deferatur.

Iam vero Deus, qui ius habet ad honorem sibi exhibendum a creatura, habet hoc ipso quoque ius ut ab eodem voluntas sua fiat. Nam neque creatura supremo Domino se subiiciet sicut oportet nisi eius faciat voluntatem, neque ad Deum supremum finem assequen-

dum rite tendet nisi ad eam normam suas operationes exigat, quam ipse Deus praestituerit; quae quidem norma tandem est lex aeterna Dei, quam voluntas divina vult servari.

Peccatum quodvis est operatio contra divinam legem divinamque voluntatem, est operatio qua homo se moraliter subtrahit a subiectione debita Deo, qua debitum Deo honorem practice negat, qua proinde ius laedit, quod Deus habet ad honorem sibi a creatura rationali praestandum. Atqui operatio contra voluntatem alterius, qua nempe fiat quod ei merito displiceat, atque id fiat sine sufficienti ratione, est offensa; operatio contra ius est iniuria, et praesertim contra ius ad honorem, cuius laesio iniuria proprie dicitur. Ergo peccatum omne est offensa et iniuria in Deum. Quia vero Deus ius essenziale habet ut voluntas sua fiat, nihilque fiat quod ei displicet h. e. quod voluntas sua reprobatur; hinc omnis offensa Dei est vere iniuria Dei.

Iniuria quidem Deo illata non officit ullo modo Deo quoad intrinseca eius bona; nihil enim Deus amittit, aut amittere potest. Adversatur autem iniuria Deo, quia detrahit illum honorem extrinsecum, quem Deus diligens se libere intendit in creatione rerum, quemque necessario exigit, supposita creatione naturae rationalis.

Nota generatim iniuriam esse immediate contra ius, mediate contra amicitiam, si ea intercedat: amicus enim merito offenditur, si eius iura violentur.

Iam vero quo iure honor exigitur, eodem honoris laesi reparatio postulatur. Reparationem autem honoris ipse offensor exhibere debet et sicut sponte honorem laesit, ita sponte oportet ut satisfaciatur. Porro reparatio honoris laesi sive iniuriae fit per quamdam compensationem, qua tantum honoris et reverentiae rependatur quantum offensae et iniuriae illatum fuit. Homo quidem purus nequit ex se huiusmodi compensationem pro iniuria Deo offerre; satisfecit vero pro ipso Deus homo, ita tamen ut ipse homo aliquid facere teneatur ope gratiae, ut merita satisfactionis Christi ei applicentur. Quod nisi fecerit, manebit cum culpa debitum subeundae poenae, cuius dignitatem cum culpa contraxit, qua poena subiicietur invitus Deo vindicanti ius suum laesum.

Ius istud Dei, de quo locuti sumus, non est tantum ius ad obedientiam, sed est quid universalius, h. e. ius ad honorem: differentia horum duorum ex eo patet, quod ius ad obedientiam solam non infert ius aliquod ad compensationem, si subditus non obedierit, sed ius ad honorem continet etiam ius ad compensationem honoris laesi.

Peccatum igitur est *iniuria seu offensa Dei, expianda per actus quoque ipsius peccatoris*. Actus, quibus peccator expiat iniuriam,

sunt, ut iam monuimus, contritio, confessio, satisfactio, inter quos praecipuus est contritio. Per expiationem quidem perfectam iniuria aboletur: hanc tamen peccator offerre ex se nequit, neque imperfectam, quae ex se sola ad aliquid sufficiat; sed potest imperfectam offerre, quae ex Dei acceptione propter Christi merita valeat ut dispositio ad remissionem obtinendam; potestque, cum iustificatus est, compensationem exhibere pro debito manentis poenae. Porro aliqua expiatio exigitur a peccatore. Sicut vero inter homines offensor per aliquos actus subiectionis, petitionis veniae, detestationis offensae, ipsam resarcit et abolet, ita peccator per actus expiationis, quantum in ipso situm est, conatur abolere offensam Dei, quae mansit.

Hactenus dicta certa sunt in doctrina christiana, eorumque certitudo a nullo speciali systemate dependet.

Iam vero abolere offensam Dei, Deoque reconciliari perinde sunt: sive saltem alterum ex altero consequitur necessario; ablata enim ratione, cur Deus sit ab homine aversus eique iratus, restituitur homini pax cum Deo; aufertur autem ratio aversionis divinae, cum offensa aboletur.

II. Itaque peccator considerans laesionem divini iuris a se factam, et considerans eam esse expiandam, potest ita detestari peccatum ut simul intendat per actus suos, atque etiam per detestationem peccati et propositum non peccandi (quae compensatio quaedam est, eaque potior, quam offerre potest) expiare iniuriam, eamque abolere, h. e. Deo reconciliari. Dico *etiam per detestationem*, nam 1) praevalente cognitione quod peccatum iniuria Dei sit, eaque expianda, et quod expiationis medium sit detestatio, simul utramque tamquam finem et medium potest voluntas vel uno actu attingere: 2) et si praecedat aliqua displicentia laesionis iuris divini, potest rursus intentio expiandi determinare actum detestationis peccati, ut proinde peccatum sit obiectum detestationis sub hac formali ratione quia est laesio divini iuris, et propter hunc specialem finem, ut iniuria compensetur. Potest nempe se gerere erga Deum peccator, sicut se gerit erga alterum, cuius ipse ius violavit ipsumque placare intendit, exhibita aliqua compensatione. Hic profecto est actus virtutis. Quae virtus sive spectetur et secundum id a quo fugit, et secundum id quod prosequitur, quodque debet esse prius, utpote eius ratio, quod ea fugit, nequit esse nisi iustitia quaedam erga Deum, qua volumus ius illud Dei servare, quod habet ne fiat id quod ei displicet ipsumque offendit. Quae virtus, si illud fiat, eo ipso vult compensationem quamdam exhibere Deo offenso, et tunc induit rationem poenitentiae.

Dices: si isti duo actus spectant ad unam virtutem, ea ante peccatum non erit poenitentia; nequit enim homo dolere de peccato

et compensationem pro eo offerre, nisi supposito peccato. Respondeo certum esse quod detestatio peccati supponit vel implicite saltem continet, tamquam aliquid naturâ prius, amorem alicuius boni, sicut odium quodvis supponit amorem oppositi; hoc autem bonum, quod detestatio peccati supponit, est iustitia, quae certe diligitur etiam si peccatum non sit. Quocirca voluntas compensandi violationem iuris Dei supponit amorem seu affectum erga ius divinum, qui affectus certe esse potest ante peccatum, atque est quoties ius Dei servatur. Ergo ne hic affectus erga ius divinum custodiam est actus alterius virtutis ab ea, quae detestatur violationem divini iuris, vultque compensare? Etsi hic actus virtutis possit esse solus et a proprio quoque habitu procedere, quemadmodum contingeret in iis, qui nunquam peccassent; potest tamen idem affectus erga custodiam iuris divini esse actus alterius virtutis virtualiter, ut ita dicam, compositae, quae nempe velit ius divinum servare iusque idem violatum compensare. Quemadmodum desiderium boni actus est speciem per se habens, desiderium vero cum expectatione constituit spem, quae est virtus specie distincta. Ita voluntas custodiendi ius divinum illudque violatum compensandi, erit virtus specialis distincta a sola voluntate servandi ius Dei. Hanc vero dicimus virtutem poenitentiae, quae et ante peccatum esse potest, conditionate saltem, prout vult iustus ius divinum servare, et, si illud violet, compensare. Quatenus vero qui iustificatus est, de peccatis iam remissis vere dolere potest et compensatione exhibita expiare illa, non dubium quod in iustis sub omni respectu possit esse absolute haec virtus.

Dices rursus: si ita est, ergo poenitentia est iustitia quaedam secus ac censuerit Lugus, cuius argumenta contemnenda haud sunt. Sed huic difficultati mox satisfaciemus.

Nunc vero advertite quod poenitentia a nobis ita descripta ut sit virtus, cuius actus est, supposito quidem peccato, voluntas delendi illud per quamdam compensationem, ea est de qua semper in hac quaestione loquitur s. Thomas. «Poenitentia, ait a. 2. operatur ad destructionem peccati praeteriti in quantum est offensa Dei». Et ibid. ad 1.^m «Intentio operandi ad deletionem peccati praeteriti requirit specialem virtutem». Et ibid. ad 2.^m «Poenitentia respicit peccata in quantum sunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo». Et a. 1. ad 3. «Dolor poenitentis est displicentia et reprobatio facti praeteriti cum intentione removendi sequelam eius, h. e. offensam Dei et reatum poenae», idcirco cum intentione reconciliationis. Et a. 4. «Proprius poenitentiae actus est propositum emendandi illud, quod contra Deum commissum est». Quibus in verbis propositum non est propositum non peccandi de cetero, sed

intentio delendi offensam per actus suos, qui sunt emenda quaedam offensae; emenda enim est compensatio (V. Glossarium mediae latinitatis Caroli Dufresne), quod et ex collatione constat cum a. 3. «Poenitens dolet de peccato commisso in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensae contra aliquem commissae non est per solam cessationem offensae, sed exigitur ulterius quaedam recompensatio».

III. Probamus ergo poenitentiam hactenus descriptam esse actum virtutis specialis. Sane 1.^o Haec est virtus quaedam iustitiae, seu melius, virtus annexa iustitiae, quae vocari solet pars potestativa eiusdem. Etenim voluntas servandi ius Dei, et reprobatio iniuriae illatae et intentio exhibendae compensationis ut ea expietur et aboleatur offensusque reconcilietur, participat certe rationem iustitiae. Communis enim sive genericus sive analogicus conceptus iustitiae est, ut versetur circa ea quae sunt alteri debita, et ea quatenus debita velit alteri exhibere refugiatque ab iniuria, eamque, si lata fuerit, velit reparare et compensare. Cum ergo poenitentia abhorreat ab offensa Dei velitque eam tollere, debitam exhibendo compensationem, participare dicenda est rationem iustitiae.

Neque arbitrari licet hunc actum esse per se actum caritatis. Nam ut quis velit alteri debitum reddere, iniuriamque illatam compensare, necesse non est ut eum diligat amore amicitiae; neque qui alteri ius suum reddit, ut iniuriam compenset, dicitur hoc ipso illum amore amicitiae prosequi; sed satis est ut iustum sive aequalitas inter homines diligatur, eamque dicitur diligere, qui ius suum cuique tribuit. Sic qui peccatum detestatur et abolere vult quia iniuria est Dei, non ideo illud is detestatur quia Deum bonum propter se diligat, sed quia ei placet iustitia erga Deum, oditque violationem iuris divini. Potest quidem hic actus vocari amor quidam, quatenus qui vult servare ius alterius vult ei aliquid bonum, sed non est amor amicitiae, aut caritatis, quemadmodum immerito contendit Vasquez in 3.^a p. q. LXXXV. a. 2. Dub. unico n. 36.

Neque qui pacem cum aliquo desiderat, eumque, quem offendit, vult placare, eo ipso amicitiam eius cupit, aut eum propter se diligit, sed vult non esse rationem cur ille erga se sit offensus, eamque tollere vult, si existat. Pax enim in eo est quod nulla offensio inter aliquos intercedat, nec alter alteri rationabiliter displiceat. Quaerere ergo pacem cum Deo tantumdem est ac velle eius iura servare, iniuriamque, si lata est, resarcire, omnemque excludere rationem cur homo Deo displiceat. Pacem ergo habere cum Deo est eius iura custodire.

Ita vero poenitentia participat rationem iustitiae, ut deficiat a

perfecta essentia iustitiae. Nam licet iustitia vera sit quatenus vult servare debitum Deo, tamen deficit a perfectione iustitiae cum reddendum est quod debetur, non solum quia quod dat homo, iam pluribus titulis est in potestate Dei, sed etiam quia non potest homo referre Deo aequale pro iis quae accepit: iustitia autem in aequalitate consistit. Quare ratio iustitiae hominis poenitentis ad Deum in eo est quod homo faciat quantum potest ex iis quae Deo debita sunt; quod quidem nunquam erit per se sufficiens, sed sufficiens habebitur per divinam acceptionem.

Restat proinde ut poenitentia sit pars potestativa iustitiae, seu, quod idem est, virtus annexa iustitiae. Pars potestativa relate ad virtutem aliquam principalem ea dicitur virtus, quae in aliquo essentiali cum principali convenit, et in aliquo essentiali deficit a perfecta ratione ipsius (II^o II^o q. LXXX, a. 1.). Unde ea non actu h. e. perfecte, sed quodammodo potestate est virtus eiusdem nominis ac principalis. Manifestum est autem poenitentiam convenire cum iustitia eo quod sit ad alterum, iurisque proprie dicti divini violationem detestetur, compensationemque debitam reddat quantum potest: non autem perfecte participare rationem iustitiae, quia non reddit aequale. Iustitia autem cuius pars potestativa est poenitentia, est iustitia commutativa, quae eo spectat ut ius suum alteri tribuat, aequalitatemque ponat in commutationibus; resarcit enim poenitentia ius divinum laesum, et aequalitatem ponit inter offensam Dei et compensationem, quantum potest.

Neque tamen exinde inferas poenitentiam esse virtutem iustitiae inferiorem. Nam licet ratione *iusti* h. e. *aequalis* poenitentia sit minor quam iustitia; id tamen ei contingit ex eminentia sui termini, qui est Deus, a quo certe praestantiam supra iustitiam mutuatur. Quare comparatis simul utriusque virtutis rationibus formalibus, simpliciter poenitentia est nobilior iustitia, quae inter homines exercetur.

Argumenta vero Lugii ostendunt quidem virtutem hanc non esse iustitiam secundum plenum perfectumque conceptum, sed non probant non esse sub certa ratione iustitiam. Sane ad argumentum primum respondemus, quod, quocumque titulo exigat Deus omnia opera nostra, exigit certe ne a nobis honor eius violetur; violatio autem honoris debiti semper ab hominibus vocata est iniuria: violari vero honorem debitum Deo per peccatum evidens est idque habet communis sensus christianorum. Ad secundum respondemus 1^o quod compensatio laesi honoris non postulat ut ille idem actus honoris, qui om. ssus est, restituatur, sed ut ponatur actus revocans, secundum existimationem prudentum, inhonorationem praecedentem et resar-

ciens laesionem honoris: 2^o quod non intelligimus quo spectat principium illud: actus nostros esse in potestate Dei, qui potest illos a nostro arbitrio extorquere pluribus modis, si velit: id enim nos non eximit ab obligatione servandi iuris divini ac compensandi violationes eiusdem. Ad tertium dicimus quod si obligatio iustitiae oriatur ex actione iniusta, cuius effectus semper perseverat in damnum alterius donec reparetur iniuria, cuiusmodi est ablatio rei alienae aut calumnia, concedimus obligationem urgere statim ac fieri potest: at si obligatio oriatur ex actione per se transeunti, cuius effectus huc redit ut aliquando iniuria illata sit, cuiusmodi foret irreverentia erga Principem, negamus quod obligatio urgeat statim nisi in hypothesi quod statim sit cum offenso redeundum in gratiam. Ad quartum dicimus quod etiam pro peccatis venialibus aliqua compensatio est exhibenda, etsi integrum sit vel illam libere offerre in hac vita, vel pati eam in altera vita. Ad quintum respondemus probari tantum quod iustitia perfecta heic non intercedat: quia tamen reparatio honoris laesi exigitur, et haec est virtus quae ad iustitiam revocatur, virtus eam exhibens potest appellari iustitia.

Iam vero 2^o huiusmodi poenitentia, quae est virtus annexa iustitiae, est virtus specialis. Sane ea non est aliqua ex virtutibus theologis; non est enim caritas, ut probatum est, non est spes, cuius aliud prorsus est obiectum formale et alius actus, non est fides, ut per se patet. Sed est aliqua virtus moralis, sicut iustitia, cuius est pars potestativa. Ex virtutibus autem moralibus non est ulla ex iis, quae habent particulare motivum, quo malum sibi oppositum detestari possunt; nam poenitentia motivum habet universale, quod est offensa Dei expiabilis, quod valet pro quovis peccato. Non est pariter prudentia, ut patet, neque est proprie iustitia, ut probatum est: et licet sit pars eius potestativa, non exinde est eadem ac illa; nam virtutes annexae differunt essentialiter a principali, et sane poenitentia rationem habet specialem, quae non competit iustitiae proprie dictae.

Differt quoque poenitentia a religione. Nam aliud formaliter est exhibere cultum, aliud velle ius alterius servare et iniuriam compensare ac cum illo reconciliari. Item differt ab obedientia, nam obedientia non fertur in compensationem aliquam exhibendam, ac reconciliationem obtinendam sicut poenitentia. Est quidem hic actus poenitentiae aliquis actus cultus et obedientiae, qui a religione et obedientia secundum earum propria motiva imperari potest: sed actus hic poenitentiae retinebit suum motivum formale etiam sub hoc imperio, si imperetur voluntas compensandi offensam (Th. praeced. III.). Cf. Toletum in h. l.

Relinquitur ergo ex his omnibus poenitentiam esse virtutem specialem habentem speciale motivum (cf. Catechismus Romanum De Poenitentia n. 7.). Nota autem non dici poenitentiam virtutem specialem, quia non habeat motivum universale, habet enim; sed quia illud habet in linea iustitiae tantum.

IV. Quaeres utrum idem habitus, cum adest, possit elicere actum detestationis peccati, tum intentionis expiandi illud? Respondeo affirmative cum Suarez et aliis contra Pallavicinum l. sup. cit., si detestatio peccati sit ex eo motivo quod peccatum est laesio divini iuris; uterque enim actus idem habet formale motivum et est actus iustitiae: formale enim obiectum detestationis iuris laesi, est ius idem dilectum, et formale obiectum intentionis compensandi violationem iuris est pariter idem ius dilectum. Vellet Pallavicinus solam intentionem compensandi esse actum elicitem poenitentiae, ceteros esse actus imperatos; sed concipere non possumus virtutem poenitentiae, cuius non sit actus detestatio peccati, est enim actus essentialis et praecipuus poenitentiae.

Non est ergo necesse ita interpretari s. Thomam, ac si docuerit in testimoniis supra recitatis solam intentionem expiandi peccatum esse actum elicitem poenitentiae. Dictio enim exclusiva vel aliquid aequivalens non occurrit. Deinde ratio cur mentionem discrete faciat intentionis delendi peccatum haec esse potest, quia in hac quaestione agit s. Doctor de virtute poenitentiae, quae sit ex se sufficiens ad iustificationem, ideo que cum actu caritatis coniuncta; cum ergo caritas possit iam ex nobiliore motivo detestari peccatum, actus poenitentiae proprius sola est intentio compensandi, et idcirco ipse solus discrete memoratur. Quapropter nec opus est eam sententiam admittere, quam postremo loco superius recensuimus.

Quaeres autem quinam sit praecipuus specialis poenitentiae actus, detestatio ne peccati, an intentio expiandi illud? Respondeo: si spectetur id quod poenitens exhibere debet ut expiet peccatum Deumque placet, praecipuus actus est detestatio et dolor. Si vero spectetur id quod est ratio determinans cur hic actus sit specialis actus poenitentiae, illud est intentio expiandi. Quomodo cum quis alteri restituere pecuniam tenetur, si consideretur id, quod dandum est, praecipuus actus est datio pecuniae: si vero consideretur id quod est ratio cur ille actus sit actus iustitiae, id est voluntas restituendi et compensandi.

V. Dices: impoenitentia non est speciale peccatum iuxta s. Thomam in II. D. XLIII. q. 1. a. 3. ad 3^m, sed circumstantia aliorum peccatorum; ergo et poenitentia non est specialis virtus.

Respondeo: doctrina s. Thomae ibidem haec est: « impoenitentia

secundum quod dicit propositum non poenitendi, est species peccati in Spiritum S. . . , secundum autem quod dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, negando peccati poenitentiam, sic est accidens vel circumstantia aliorum peccatorum ». Porro poenitentia, prout est specialis virtus, est propositum seu intentio abolendi peccatum et compensandi: ex quo confirmatur doctrina tradita. Legendus pro omnibus dictis in hac Thesi s. Thomas in IV. D. XIV, q. 1. a. 1.

Corollarium I. Huius specialis virtutis poenitentiae actus potest quidem imperari a caritate, non vero elici: quia motivum turpitudinis iniuriae et voluntas compensandi sunt motivum et actus, qui formaliter ad virtutem iustitiae pertinent. Itaque si agatur de sola displicentia peccati, hic actus potest esse a caritate, et quidem non ab ipsa sola, sed et ab aliis virtutibus, neque s. Thomas docuit *solam* caritatem id posse; cur enim non poterit esse actus religionis, et aliarum virtutum, quas diximus in praecedente Thesi? Si autem in poenitente sit intentio expiandi et delendi peccatum praeteritum, hic est actus iustitiae specialis, ipsaque detestatio peccati sub hoc motivo elicita ad iustitiam pertinet; dolet enim voluntatem peccasse, quia peccatum est laesio divini iuris.

Coroll. II. Cum poenitentia exercetur propter alia motiva, exhibetur quidem in actu exercito compensatio aliqua Deo pro peccato, sed cum exercetur poenitentia virtus specialis, id directe intenditur. Sicut cum lex superioris servatur, exercetur id quod ad obedientiam spectat, sed haec observatio tunc est obedientia propria, cum intendit animus parere superiori. Sicut vero haec specialis intentio obediendi non est necessaria ut servetur praeceptum legislatoris, ita neque ad eam specialem intentionem obligatur poenitens.

THESIS VI.

(a. 4.)

Obiectum materiale poenitentiae, prout est actus fugae, est primo quodvis peccatum a poenitente commissum, et ex consequenti id, quod in futuro ipse committere potest; non vero peccatum alienum et originale. Prout vero poenitentia est actus prosecutionis in emendationem offensae, obiectum eius materiale sunt ea omnia, quae a poenitente assumi possunt in compensationem iniuriae. Subiectum autem proprium poenitentiae est voluntas.

I. Obiectum materiale virtutis est id, circa quod virtus ratione sui motivi versatur. Actus poenitentiae, ut iam indicavimus, duplex distingui potest, actus fugae seu aversionis, quo ab iniuria divina poe-